

VIET-CHI POST XXXIII – kal. Iul. a. 2009

Epistula XXI

SANTIAGUS COMPOSTELAE

“In Mari Oceano”

(ĐẦU SÓNG NGỌN GIÓ)

Magistri Phan-Hoang epistularum series

Trời dài đất rộng, đi thật, sống thật, ghi vội, gửi về

Cánh Thư Phan-Hoàng

Thư Số 21:

SANTIAGO DE COMPOSTELA

VIET-CHI POST n. XXXIII Epistula n. XXI

Scripta a Magistro Phan-Hoang Britannice,
in linguam Latinam Daniela Mazzon explicavit

SANTIAGUS COMPOSTELAE

Cari discipuli,

die XXX mense Octobri a. 2007, mane Filipe (i. e. Magister Filipe Leite de Sousa) venit ut Portu Cale **Santiagum Compostelae**, clarum Hispaniensem locum **Sancti Iacobi Viae**, iremus. A Lusitana urbe Portu Cale, autostrata, II horarum iter abest. Nos, autem, horis tribus aut plus iter fecimus, quod delectati fuimus hac peregrinatione et saepe consistimus. Santiagum nec ut fervidus fidelis Sancti Iacobi nec quidem ut ardens investigator, de fabula de reliquiis huius sancti ii.

Ut saepe feceram, in hunc locum, quod scio in locis sacris bona vis est, ab universo manata, ii. Praeterea haec loca historia et pulchritudine abundant. Si loca sacra salutabis, tuum spiritum scientiamque augebis. In his locis saepe in miros homines incidēs exemplaue optima accipies, tibi inopinata.

Illo tempore postmeridiano, in hominem mediocrem visu incidi. Ut in imagine photographica adlegata vides, in sella lapidea placidus sedebat, in conspectu cathedralis. Cum caneret et barbatus esset, homo mediocris, quem omnibus locis in Europa occidentali invenias, videbatur. Illo tempore et loco eum maximi feci, prope eum persedi, cum pauca dicerem.

Quis fuit? Nescio. Probabiliter non nobilis doctor nec clarus cantator. Sine dubio non artium Martiarum magister nec athleta fuit. Quid ille vir eximius mihi visus est? Quia, quod nos omnes facere possumus, fecerat: *gressus erat*. Ille vero processerat ad mille chilometrorum ut in illo loco, in conspectu cathedralis, sideret, ut eam miraretur, ut se belle haberet, sine alio studio. Sensu animi, non adventicia ratione, pulsus fuerat. Nos quoque, ut ad id quod volumus veniremus, multas vias fecimus. Sed in animo plerumque studium dominandi, auctoritatis, gloriae habemus. Quae adventiciae rationes nos sollicitant. Haud dubie optimum est haec ad effectum adducere. Sed id tantum vitae secundarium praemium est.

Ut animi praemium adipiscamur, nobis permultae provocationes superandae sunt, quod animi vox noster imperator est. Pacem laetitiamque animi, cum statuimus ut soli longum iter faciamus, adipiscimur, dum nobiscum penitus cogitamus et nos ipsos sine fraude appetimus. Iste id adeptus erat. Ego in eius oculis serenis illam laetitiam, quae sub sensus non cadit, vidi. Nam ille fecerat ut illa urbs clarior graviorque esset. Immo Santiago ei nullum munus certum donaverat: ille tamen illum locum, ut se ipsum probaret et laetior esset, requisiverat. Vietnamice, relatio fortuita inter hominem et eventum nominatur "*duyen*". *Duyen* in certum locum non ducit, sed eas infinitas consuetudines cogitationesque, quas cotidie temere habemus, sequitur. Si honeste te geres, bonum *duyen* tibi pares. Hic homo sapiens suum bonum *duyen* per Santiagum invenerat.

Omnes nos clara consilia assecuturi sumus. Tamen hoc nobis sciendum est: esse nobis facultatem faciendi quod alii fecerint. Vobis longum iter sancti Iacobi (Le Chemin de St Jacques de Compostelle) faciendum non est, ut meliores fiatis! Vestrum Iter cotidie incipit, ut et lectulis assurgitis et in Vietchi vos exercetis, si exercitiis sua nomina, gravitatem, vim, dignitatem esse, intellegitis. Non solum corporis exercitationes, sed infinitae provocationes sunt, quae vos, ne in vitae via cadatis, exercent. Sine ulla dubitatione vos bene novistis Vietchi exercitationes; dubito autem an vos ipsos noveritis!!!

Imagines fotograficas Santiagi Compostelae in epistulam addo, ut tempus memoriae dignum communicem. Vobiscum et motum CUU-DOAN communicabo per imagines fotograficas quas Filipe cepit, apud claram cathedralem. Gratiam Filipe ago, quod me ad hunc locum duxit, sed praesertim quod multas eius virtutes abditas cognovi. Hoc me maxime delectavit!.

Si quando umquam in hunc locum ibitis, imaginem photographicam capiatis, quaeso, et mihi mittatis, ut conscii simus.



